p. 232.

maximum & kardinem maximum sicut supradixi
mus & ab eis strigas & scamna uocauerunt, scamna

VERSUS RATBODI SCAE TRAIECTENSIS AECCLAE FAMULI DE HIRUNDINE

Est mihi corporeae species aptissima formae
Quae fore terrigenum nulli onerosa queat
Vix etenim digitos numerat mensuraque ternos
Formula qua constat corporis arta mei
Unde di templis fas est mihi ponere nidos
Inque hominum pullos aede fovere meos
Agricolis dictum ueniens noua gaudia porto
Garrula nam uacuum scindit et clamo solum
Quorum sub laribus modicam dum congero glebam
Nequiquam augurio spondeo fausta meo
At mihi mirandum tribuit natura secretum
Quo medicans pullis lumina reddo meis
Nam mihi phitagoras hac cedit in arte magistra
Quem frustra caecus ut reparetur adit
Inde est quod nostro nomen de nomine nascens
Urbe tenus crassis decipit herba locis
Quod qui nosse uelit grecos primum ore sequatur
Mox et hirundineam rome et hirundo dabit
Ergo iuuat nimium lector tibi dicere morem
Quo mirere magis cuncta creantis opus
Floriferas auras et frondea tempora capto
Tumque per humanas hospitor ipsa domos
Atque ibi spectandum cunctis confingo cubile
Segnis inersque manus quale patrare nequit
In quo nata mihi prae dulcia pignora struo
Donec me ualeant per spatia ampla sequi
Hunc mihi iungo gregem et uolucres mox explico pennas
Impigra sic totam duco uolando diem
Nec tamen id frustra dum quippe per ardua trano
Arridente densis aethera laeta satis
At cum limosas pennis contingo paludes
Tum pluuia et uentis aeole tundis agros
Sole dehinc gelido cum ninguida bruma appinquat
Seu patria pellor seu fugio ipsa metu
Nec dulces nidos nec hospita limina curans
Sed propria et fortis indita iura sequens
Sic rigidas auras ignotis uito sub antris
Sic quoque naturae do paradigma tenax
Heus homo dum causas rerum rimaris opertas
Ne spernas decoris munera quae fero tui
Tu ratione uiges ego sum rationis egena
Tu post fata manes fata ego tota sequor
His quantum superas tantum me uince creantis
Imperio parens iussit ut ipse creans

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1564/0324